

2. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 13 novembre 2015, Prot. n. 50461/15 CA, Decreto di sospensione, Rev. L - Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica, *di nomina di Commissaria Pontificia e trasferimento della Rev.ma Abatessa.*

Translatione die 12 februarii 2015 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae decreta atque remonstratioe proposita, Rev.mae Abbatissae L die 21 martii 2015 translationis praeceptum vi voti oboedientiae impositum est ac simul eadem Rev.ma Abbatissa commonefacta est quod «en el caso de que no observe esta disposición, la Comisaria Pontificia iniciará el proceso de su expulsión a norma del derecho por desobediencia pertinaz a las prescripciones legítimas de los Superiores en materia grave (cf. can. 696-700)».

Recursu apud hoc Supremum Tribunal instituto, Rev.ma Abbatissa suspensionem quoque actus impugnati petivit. Quam petitionem nuper, die nempe 30 octobris 2015, denuo efflagitavit ob monitionem canonicam ad normam can. 697, n. 2 a Commissaria Pontificia eidem missam.

Quibus praehabitis,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Pro comperto habito quod, iuxta communem H. S. T. iurisprudentiam, executionis suspensio ex duobus elementis inter se conexis pendet:

- priore loco, ponderanda est probabilitas decisionis favorabilis relate ad recursum quo actus legitimitas impugnatur, adeo ut quanto maior est illa probabilitas, tanto plus suspensionis concessio urget, et versa vice;

- altero loco, diiudicanda est damno-

rum irreparabilitas in casu decisionis favorabilis, ita ut quanto plus actus administrativi impugnati executio effectus parit, qui difficulter retrotrahi poterunt, tanto plus suspensionis concessio urget, et versa vice;

Perpenso quod ex actis quae prostant Commissaria Pontificia et Visitator Apostolicus ad inquirendum et referendum eodem die pro eodem Monasterio nominati recursum reddunt fumi boni iuris haud expertem, quin tamen de examine assertae violationis legis quidquam inde praeiudicatum sit;

Animadverso quod damna, quae ex actus impugnati executione timentur, irreparabilia videntur, non autem quoad translationem impositam, sed quoad nuperrimam monitionem cum explicita comminatae subsecuturæ dimissionis (cf. can. 697, n. 2), nisi Rev.ma Abbatissa intra quindecim dies a praefata monitione recepta Monasterium S repeteret, et hoc quidem non obstante recursu apud H. S. T. et indulto absentiae ad trimestre ab Exc.mo Episcopo C die 21 septembris 2015 eidem Abbatissae dato;

Cum proinde periculum habeatur ne in mora, pendente recursu, Rev.ma Abbatissa ab instituto dimittatur, quod esset damnum irreparabile;

Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 2 maii 2015 frustra interpellata circa petitam suspensionem;

Vi art. 96 *Legis propriae* H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta, in Congressu coram Em.mo Praefecto die 13 novembris 2015 habito,

decrevit:

Suspensionem concedendam esse atque facto concedi clausulae decreti, die 21 martii 2015 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae lati, additae: «En el caso que non observe esta disposición, la Comisaria Pontificia iniciará el proceso de su expulsión a norma del derecho por desobediencia pertinaz a las prescripciones legítimas de los Superiores en materia grave (cf. can. 696-700)».

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 13 novembris 2015.

Dominicus Card. MAMBERTI
Praefectus

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius